



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De ordinatis qui episcopum proprium contemunt. cxcii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tuum ut gradu amisso, agenda pœnitentiæ gratia in monasterio, aut canonico aut regulari mittantur. Si verò hoc fieri causa quælibet prohibuerit, vbicunque sint, pœnitentiam agere non desistant. Si autem amisso gradu seculariter viuere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab Ecclesiæ communione separentur.

De ordinatis si iniuste degradati fuerint. Cap. CXCII

Episopus, presbyter aut diaconus, si à gradu suo iniuste deiectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum. Si episcopus est, orarium, anulum, & baculū. Si presbyter, orarium, & planetā. Si diaconus, orarium, & albam. Si subdiaconus, patenam, & calicem. Sic & reliqui gradus in reparationem sui recipiant, quæ quum ordinarentur, perceperant.

*Ex eodē
cap. 28.*

*Ex ordinatis qui episcopum proprium contem-
nunt. Cap. CXCIII.*

SI quis presbyter, aut diaconus episcopum propriū contemnens, se ab Ecclesia sequestrauerit, & seorsum colligens altare constituerit, & commonēti episcopo non acquiescit, nec consentire vel obedire voluerit, semel & iterum conuocanti: hic damnetur omni modo, nec vltra remedium consequatur.

*Ex cōcil.
Antio.
cap. 5.*

Si presbyter contra suum episcopum inflatus scisma fecerit, vt anathematizetur.

Caput CXCIII.

A vniuersis episcopis dictum est: Si quis presbyter ab episcopo suo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secedens se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam iustam aduersus episcopum non habuerit, inquirendum erit.

*Ex conc.
Cartha.
cap. 11.*

De illis qui aliquem ex ordinatis falso crimine appetierint. C. CXCIV.

SI quis episcopum, aut presbyterum, vel diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nisi in fine dandam ei non esse communionem.

*Ex eodē
cap. 5.*